

forte pleræque ante Aldinam. Certe in libello Caroli Bovilli Mathematici & Philosophi summi de Nihilo, per nos recensendo, non nisi nichilum legitur: excusus vero est cum reliquis illius Opusculis, Ambianis, sumptibus Francisci de Hallewin ejusdem loci Episcopi, atque emissus ex officina Henrici Stephani anno 1510. *Nihilum* vero legendum & pronunciandum esse, Etymologia docet. De qua sic Varro lib.8. de L. L. *Nibili*, quod ex *ne* & *hili*: quare dictus *Nibili*, qui non *hili*. Similiter Festus: *Nibili*, qui nec *hili* quidem est. & iterum: *Hilum* putant esse, quod grano fabæ adhaeret, ex quo *nihil*, & *nihilum*. Aliud, *hilum*, seu *hillum*, putavit esse Togatorum doctissimus Varro apud Charisium lib. 1. de Analogia: interpretatur siquidem *intestinum tenuissimum*, quod alij *billum* appellant. Verba Grammatici, quantivis pretij, hæc sunt: *Nihil* si dicas, quantitatem notas, si vero *nibili* adjuncti hominis mores. Cujus nominis origo hæc est. *Hilum* Varro rerum humanarum, *intestinum* dicit *tenuissimum*, quod alij *billum* appellaverunt, ut intelligeretur *intestinum* propter similitudinem generis. unde antiqui creberrime dempta litera *hilum* quoque dixerunt: unde intelligimus *nihil* sine aspiratione vitiose dici. Interim *billum*, ceu *billam*, ab *hilo* distinguit Festus. *Hira*, (inquit) quæ diminutive dicitur *hilla*, quam Græci dicunt *ἡνσιον*, *intestinum* est, quod *jejunum* vocant. Non constitisse quoque sibi videtur Varro, circa notationem *hili*. Sic enim Isidorus lib. 10. Orig. cap. 15.

*Nihilo*